An. et vol. XXXXI 18 Maii 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Sacrum Consistorium, p. 209 - In solemni canonizatione B. Ioannae Lestonnac, p. 211 - Constitutio Apostolica, p. 214 - Epistula, p. 216 - Allocutio, p. 218.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Concilii*: Declaratio, p. 221.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: I. II. Sententiae et Decreta a. 1948, p. 222. III. Citatio edictalis, p. 253.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomina e Onorificenze, pp. 254-256.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 6 - 18 Maii 1949)

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

(die 2 Maii 1949)

PAG.

Consistorium semipublicum 209
Allocutio 209

IN SOLEMNI CANONIZATIONE B. IOANNAE LESTONNAC

Proclamatio 211
Homilia 212

CONSTITUTIO APOSTOLICA

De Miarinarivo (De Tsiroanomandidy). - A Vicariatus de Miarinarivo territorio pars seiungitur, quae in Praefecturam Apostolicam erigitur, Tsiroanomandidy nuncupandam. - 13 Ianuarii 1949 214

EPISTULA

Disertae admodum litterae. - Ad Emos PP. DD. Michaëlem tit. S. Anastasiae S. R. E. Presb. Card. Faulhaber, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, Iosephum tit. S. Ioannis ante Portam Latinam, S. R. E. Presb. Card. Frings, Archiepiscopum Coloniensem, Conradum tit. S. Agathae, S. R. E. Presb. Card. von Preysing, Episcopum Berolinensem ceterosque Germaniae Archiepiscopos, Episcopos locorumque Ordinarios: officiosis litteris respondet ex episcopali coetu datis. - 20 Decembris 1948 216

ALLOCUTIO

Ad novum Legatum Reipublicae Panamensis. - 6 Maii 1949 218

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Declaratio. - 12 Aprilis 1949 221

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I. Sententiae editae anno 1948 . . . 222
II. Decreta in causis aliter eodem anno finitis 244
III. Citatio edictalis:
Chicagien. - Nullitatis matrimonii (Belch Breen - Kriedeman). - 11 Maii 1949 . 253

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Udienza solenne 254
S. Congregazione dei Riti: *Varie* . . . 254
Segreteria di Stato: *Nomina e Onorificenze* 255

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

MEMORIALE RITVVM

pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis

IN MINORIBUS ECCLESIIS

Benedictio XIII Pont. Max. jussu editum - Benedicti Papae XV auctoritate recognitum

EDITIO I POST TYPICAM

An. et vol. XXXXI 18 Maii 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM

Die II mensis Maii MCMXXXXIX, in Palatii Apostolici Vaticani consueta Aula, *Consistorium semipublicum* habitum est de Canonizatione Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Virginis, Vincentiae Gerosa, Virginis, Mariae Iosephae Rossello, Virginis, Ioannae Valesiae, Francorum Reginae, Ioannae de Lestonnac, Viduae.

Huic actioni Beatissimus Pater sic praefatus est:

VENERABILES FRATRES

Ut omnes profecto nostis, causa agitur de Beatis Caelitibus Bartholomaea Capitanio, Vincentia Gerosa, Maria Iosepha Rossello, Ioanna Valesia, Francorum Regina, ac Ioanna de Lestonnac, quas circa iam apud Sacrum Consilium ritibus tuendis tam diligenter pertractatum est, ut nullum omnino videatur superesse dubium, quin iisdem supremi altarium honores decerni possint. Praeterea iam decretum fuit eas talibus praestitisse virtutibus, dum mortali hac vita fruerentur, quales ad rem definiendam requirantur, ac signa miranda prorsus supraque humanas vires, Deo donante, patrasse.

Celebrata etiam fuere Consistoria duo; alterum secretum, publicum alterum. Ut igitur omnia ex translaticio Apostolicae

Sedis more institutoque fiant, nihil reliquuum est, nisi ut hoc in amplissimo consessu vos invitemus omnes, ut mentis cuiusque vestrae consilium hac super causa Nobis aperiatis. Faveatis igitur, Venerabiles Fratres, quid singuli opinemini, alius post alium ex vestrae dignitatis ordine, religiose Nobis significare.

Exceptis adstantium suffragiis, Summus Pontifex haec addidit verba:

Laetamur admodum, Venerabiles Fratres, quod ex latis suffragiis didicimus Beatas Caelites, de quibus agitur, plane a vobis existimari dignas, quibus sanctitatis honores decernantur. Id Nobis quoque certum ac deliberatum est. Sacra igitur eiusmodi sollemnia in Petriano templo caerimoniis illis habebuntur, quae ob ipsam apparatus maiestatem eventus magnitudinem declarare videbuntur.

Ac placet iam nunc diem dicere quintum decimum huius mensis Maii, quo B. Ioanna de Lestonnac sanctitudinis infula decoretur; diem vero praestituere duodecimum proximi mensis Iunii, quo B. Maria Iosepha Rossello iisdem honoribus honestetur; quos quidem amplissimos honores fore confidimus ut ceteris Beatis Caelitibus per proximi Anni Sacri decursum sollemni eodem ritu tribuere Deo iuvante possimus; hoc est Beatis Bartholomaeae Capitanio ac Vincentiae Gerosae una simul die XVIII mensis Maii, Beatae autem Ioannae Valesiae Galliarum Reginae die XXVIII eiusdem mensis.

Ne gravemini interea, Venerabiles Fratres, Nostris vestras iungere preces, ut haec omnia in Ecclesiae bonum christianaeque pietatis incrementum optime vertant.

De quibus omnibus ut acta conficerent R. P. D. Caeremoniarum Apostolicarum Praefectus, loco Procuratoris Fiscalis Rev. Camerae Apostolicae, adstantibus Protonotariis Apostolicis de more mandavit.

IN SOLEMNI CANONIZATIONE

BEATAE IOANNAE DE LESTONNAC, VIDUAE, DIE XV MENSIS MAII A. MDCCCCXXXXIX IN VATICANA BASILICA PERACTA.

Antequam Summus Pontifex decretoriam ederet sententiam, qua B. Ioanna de Lestonnac sanctitatis honoribus decorata fuit, Revmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, nomine Sanctitatis Suae, haec verba fecit:

Summo mihi honori est renuntiare adstantibus, iisque omnibus, qui ubique terrarum undisono instrumento usi, sacris hisce ritibus auscultando quodammodo adsunt, Pontificem Maximum in eo esse ut B. Ioannam de Lestonnac sanctitatis honoribus exornet.

Venerabundi oraculum auditote omnes; ac vestris in animis exardescat desiderium illius assequendae virtutis, quae tantopere in Beatae huius Caelitis vita refulsit.

Tum Ssmus Dominus Noster, omnibus aperto capite surgentibus, Ipse sedens in Cathedra mitramque gestans, de plenitudine Apostolici ministerii solemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistensium consilio; Beatam Ioannam de Lestonnac Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe die secunda Februarii, inter Sanctas non Virgines pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Quotiescumque Ecclesia novis errorum perturbatur fallaciis, acrioresque patitur suorum hostium impetus, divinam illam Conditoris sui experitur pollicitationem: « ... Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».[1] Numquam enim potest intaminatae suae sponsae deesse Christus; numquam potest in ea restingui ille sanctitudinis fulgor, qui aberrantes ad veritatis iter invitat, vitiosos ad frugem bonam revocat, ac segnes neglegentesque excitat ad virtutis refovendum augendumque ardorem. Haec edocent tempora, quibus S. Ioanna de Lestonnac suam vitam traduxit. Nova haeresis, e Germania exorta, in Galliam ceterasque Nationes propagabatur; et cum nimio saepius publici privatique mores, vel remissi ac debilitati iacerent, vel interdum etiam corrupti pessumdarentur, procul dubio in causa erant cur erroribus sterneretur via, ac facilior vitiorum illecebris aperiretur aditus. Gallia Novatorum actionem ita experta est, ut ipsa avitae Francorum religionis unitas in discrimen adduceretur. At incassum; Deus enim sanctissimos viros sanctissimasque mulieres ex primo genitae Ecclesiae filiae sinu excitavit, qui non modo huic haeresi, validis oppositis repagulis, obstiterunt, sed totis etiam viribus divina gratia suffultis effecere, ut sua ipsorum patria dilectissima hisce fluctibus ne mergeretur.

In his praeclara luce splendet Ioanna de Lestonnac, genere nobilis, virtute nobilior. Inde a iuvenili aetate nihil reliqui fecit, quod carissimam genitricem suam, ex Catholicae Ecclesiae gremio aberrantem, ad rectum religionis iter reduceret; quodsi suaves eius adhortationes optatum propositum assequi non potuere, id tamen nihil minuit eius virtutis meritum. Quod vero adhuc puellula inter domesticos parietes obtinere contendit,

[1] MATTH. XXVII, 20.

in id per totius suae vitae cursum per latioremque apostolatus campum actuosissime enisa est.

Septem ac decem annos nata a patre in matrimonium tradita, quamvis perfectioris vitae institutum percuperet, eius tamen voluntati demisso obtemperavit animo; atque uxor fidelissima, mater integerrima exstitit, suosque filios ad christianam virtutem eloquio exemploque suo eduxit. Cum autem, defuncto viro, res familiares componere potuisset, suamque subolem in tuto collocare, nihil antiquius habuit quam ut, Religiosarum Sodalium Ordinem ingressa, se totam divino servitio manciparet. At erat Dei voluntate provisum ut novum ipsa conderet Institutum, in quod quae cooptatae essent, non umbratilem solummodo ac contemplationi deditam, sed operosam etiam vitam agerent, secundum illud: « ... Maius est illuminare, quam lucere solum; ... maius est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari ». [2] Siquidem superno quodam instinctu ducta, ac conscientiae suae moderatori obtemperans, novum Ordinem constituit, cuius esset sodales suas ad evangelicam perfectionem precando meditandoque perducere, itemque causam studiose suscipere rectae puellarum educationis. Id tempora postulabant omnino, cum opportunissimum videretur rite instituere ac conformare iuventutem, quae saepius, vel haeresi infecta, vel per pronum vitiorum iter prolabens, a materno Catholicae Ecclesiae gremio miserrime abstraheretur.

Haud mirum quidem est si tam uberes pulcherrimosque fructus hoc in amplissimo laboris campo colligere potuit; novimus enim eam non suis viribus confisam laborasse, sed divino auxilio fretam ac tutela Deiparae Virginis, quam tantopere colebat, adamabat, imitabatur, quamque caelestem esse voluit Instituti sui patronam ac praestitem.

Quo autem caritatis ardore erga Deum, erga proximos aestuaret, tum etiam luculentissime patuit, cum per Galliae regiones perniciosissima grassante pestilentia, aegrotantes adiit,

[2] S. Thom. II II, q. 188, a. 6.

eorum morbos pro facultate curavit, eorumque animos suaviter relevans ac leniens, in spem erexit illius assequendae vitae, quae nescit occasum.

Quot igitur ac quanta habetis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, in huius Sanctae Caelitis vita eximiae virtutis exempla, quae ante oculos cuiusque vestros imitanda proponatis. Possunt puellae in eius iuvenili aetate venerabundae cernere fulgidissimum pudicitiae candorem; possunt uxores matresque familias in eius coniugio admirabundae suspicere fidelitatem, modestiam, integritatem, eiusque in educanda prole studium impensissimum; qui vero instituendae iuventuti, vel curandis infirmis dant operam, discant ab ea rectam illam atque indefatigabilem agendi rationem, qua utrique rei, divina afflante iuvanteque gratia, optime respondere queant.

Ac denique contendant utinam omnes — quod vehementer optamus ac supplici poscimus prece — ad eius in se referendam ac cotidie magis excitandam flagrantissimam caritatem, quae omnia vincit, quae omnia exsuperat, et quae una potest tot acerbis malis, quibus hominum conflictatur societas, verax ac validum praebere remedium. Amen.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE MIARINARIVO
(DE TSIROANOMANDIDY)

A VICARIATUS DE MIARINARIVO TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN PRAEFECTURAM APOSTOLICAM ERIGITUR, TSIROANOMANDIDY NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad Christi regnum facilius et utilius inter gentes, nondum evangelica luce conlustratas, prolatandum haud dubie valde prodest Missionum territoria nimis ampla, dismembrare et alias erigere novas Missiones, aliis concredendas verbi divini praeconibus. Quo moti consilio, excipiendas

lubenti animo duximus preces, quibus postulatum est ut in Insula Madagascarensi peramplum Vicariatus Apostolici territorium de Miarinarivo bipartiatur et nova exinde erigatur Praefectura Apostolica. Nos itaque, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia, omnibus mature perpensis, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ex praefati Vicariatus Apostolici de Miarinarivo territorio civilem districtum de *Tsiroanomandidy* et « canton » de *Fenoarivo* distrahimus, et territorium ita avulsum in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, de *Tsiroanomandidy* appellandam. Novam hanc Praefecturam Apostolicam indefessis committimus curis dilectorum Filiorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Sodalium, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Novae autem huic Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore Praesulibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praefecti iure communi gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, ita disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque alicuius viri ecclesiastici in dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini porro hanc paginam dismembrationis, erectionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die tertia decima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 5. – Al. Trussardi.

EPISTULA

AD EMOS PP. DD. MICHAËLEM TIT. S. ANASTASIAE S. R. E. PRESB. CARD. FAULHABER, ARCHIEPISCOPUM MONACENSEM ET FRISINGENSEM, IOSEPHUM TIT. S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM, S. R. E. PRESB. CARD. FRINGS, ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM, CONRADUM TIT. S. AGATHAE, S. R. E. PRESB. CARD. VON PREYSING, EPISCOPUM BEROLINENSEM CETEROSQUE GERMANIAE ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS LOCORUMQUE ORDINARIOS: OFFICIOSIS LITTERIS RESPONDET EX EPISCOPALI COETU DATIS.

PIUS PP. XII

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Disertae admodum litterae, quas ad Sancti Bonifatii exuvias vos de more congregati corde magis quam stylo Nobis recens conscripsistis, si infando plane dolore Nos affecerunt ob persistentem asperrimam patriae vestrae condicionem, mirum quo iucundo consolationis sensu pro constanti vestra in Deum fiducia, pro pastorali in greges sollicitudine, pro inconcussa vestrum cum Cathedra Apostolica coniunctione, animum Nostrum perfuderunt!

Omnimoda profecto laude digni estis atque in exemplum cunctae familiae catholicae proponendi vos, qui in tempore tantae tribulationis et angustiae vincula cum Beati Petri Sede non modo minime relaxastis, sed vividiore quoque officii vestri conscientia ac maiore voluntatis ardore solidissime confirmastis, dum acerrimi Dei eiusque operum inimici, ubicumque furentis belli tempestas desaeviit, tot trahens clades et ruinas, sanctos Ecclesiae nexus in catholicis gregibus dissolvere conantur eiusque membra a Capite suo contra iura divina et humana distrahere, ut, tamquam palmites a vite sua avulsi, miserabiliter exarescant.

Huius autem coniunctionis sacrae Hierarchiae cum Romana Cathedra hoc vertente anno splendida habuimus documenta, quum multi quidem ex vobis ad limina Apostolorum se contulerint sensusque suos Nobis coram aperuerint, pluresque praeterea sacrorum Antistites ex exteris nationibus Coloniam Agrippinam vobiscum convenerint, ut Cardinalis Legati Nostri a Latere magnifica exstarent corona. Quod sane praeclarissimum visum est unius et universae Ecclesiae argumentum.

Compertum vero habemus quot quantisque oneribus atque angustiis laboret in praesenti patria vestra, quae nondum exoptata fruitur pace, subeuntque Nos illa Domini verba per Ieremiam prophetam enuntiata:

« Vocem terroris audivimus : formido et non est pax » (XXX, 5). Nullus equidem sine pace ordo in hominum societate consistere potest, nullus, inquimus, neque publicus neque privatus, neque civilis neque domesticus, neque iuridicus neque oeconomicus. Quot sane detrimenta in officinarum industriaeque operibus, in commerciorum commeatuumque negotiis, in pecuniae pretiorumque perturbationibus ! Quot graviora etiam damna in vita morali ac religiosa, praesertim in pietatis erga Deum officiis obeundis, in sacri connubii vinculis atque in catholicis educationis caritatisque institutis restauranda !

Quod si ingentes sunt lamentandae iacturae, quae ex nationalismi deliramentis et consequente immanissimo bello tam late altiusque dimanarunt, haud profecto levia impendent hodie pericula multorum malorum ex aliis erroribus circa finem et usum vitae huius mortalis humanique cultus progredientis, cuius praecipuum fundamentum bonis plerumque fluxis et caducis constare existimatur.

At vero non desunt in vestris litteris levaminis solaciique causae periucundae. Quo enim asperiores sunt populi Germanici labores atque anxietates, eo ardentiores in vobis efficiuntur curae pastorales et sollicitudines. Minime autem dubitamus, quin animorum vestrorum vires atque industriae pares futurae sint ad novas solvendas difficultates, quae fidei moribusque tuendis obsistere possint, ita ut salutaria consilia atque incepta, quae in congressu Fuldensi aggredienda censuistis, felicem fortunatumque exitum sortiantur.

Illud potissimum in praesentiarum exacuere videtur atque urgere caritatem vestram ipsiusque Germaniae cleri, necessitas videlicet omni sacri ministerii ope atque auxilio prosequendi sive profugos vestrates, qui in regione Diasporae commorantur, sive exteros profugos, qui, familiaribus saepe suis, bonis et domibus amissis, coguntur sub tentoriis plerumque gregatim iacere in agris, miseram afflictamque trahentes vitam. Ad hoc genus proximorum laborantium convertant oculos animosque omnes boni Germani, praecipue sacri administri et socii Actionis Catholicae, ut nullum religionis et caritatis officium ab illis desideretur. Hoc quidem tot difficultatum angustiarumque tempore, meminerint generosi Germaniae filii Sancti Augustini verba ad trutinam cunctas conscientias revocantia : « Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quae faciunt invicem angustias? Sed si angustantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis » (Sermo LXIX, alias de Verbis Domini, X, n. 1, ML 38, 440-441).

Vobiscum praeterea fovemus, Dilecti Filii ac Venerabiles Fratres,

fiduciam in generosa atque alacri opera, quam christifideles omnes vestris praestabunt curis, uti animorum bonum ac supernam salutem prosequi efficaciter possint.

Geminatis itaque vestris nisibus istorumque fidelium, huiusmodi bonum ac prosperitatem in re praesertim religiosa ac morali Germaniae populi spectantibus, fervida Nostra libentissime addimus vota, ut laetifera tandem oriatur pax, quae suis restituat familiis, tantopere iam frustra praestolantibus, bene multa virorum milia, in misera captivitate adhuc iacentium, ea, inquimus, pax, quae populo vestro, ipsi quoque Europae et gentium societati tranquillae concordiae fructuosique laboris auspicium et argumentum existat.

Hisce votis atque ominibus, ut praesidii caelestis pignus ac testimonium praecipuae Nostrae caritatis, Apostolicam Benedictionem vobis singulis, Dilecti Filii ac Venerabiles Fratres, simulque universis cleris gregibusque vigilantiae vestrae concreditis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

*Ad Exc̃mum Virum Ramon Arias Feraud, Panamensis Reipublicae Legatum extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem.**

Señor Ministro:

Con verdadero placer recibimos en este momento las Cartas Credenciales, por las que el Excelentísimo Señor Presidente de la República de Panamá le acredita como Enviado Extraordinario y Ministro Plenipotenciario de aquella República ante la Santa Sede.

Vuestro país, Señor Ministro, se cuenta, por fortuna para él, entre aquellos que, como Vuestra Excelencia acaba de hacer notar, nunca han perdido la fe en la Divinidad, el amor a Nuestro Señor Jesucristo y la fidelidad a su Vicario en la tierra. Acaso por eso Nuestro corazón conserva, y ha conservado siempre, un lugar especial para ese digno pueblo, que Vuestra Excelencia tan brillantemente representa.

* Habita die 6 Maii mensis a. 1949.

No es la extensión geográfica, ni la abundancia de riquezas, ni la fuerza física lo que constituye el íntimo valor de una nación; éste en cambio viene determinado por sus virtudes, por su amor y su respeto a los grandes principios morales y religiosos; por la constante fidelidad a la palabra dada; por los gloriosos hechos llevados a cabo en el servicio de Dios, de la Iglesia, de la Patria y de cualquier otra causa noble; por su amor al orden y al trabajo, por su disposición fraternal para con todos, hostil hacia ninguno, generosa con los necesitados, dispuesta siempre al perdón, a la reconciliación y a la paz.

El grand acontecimiento en la historia de su Patria fué la construcción del canal de Panamá. El mismo sitio donde los españoles, en pleno siglo dieciséis, pensaron ya abrirlo — que idea tan previsora y tan audaz para aquellos tiempos! — nuestro siglo ha conseguido realizarlo con un esfuerzo que, a pesar de los actuales medios técnicos, hoy tan incomparablemente más nuevos y perfeccionados, es siempre una demostración imponente del poder y de la voluntad humana.

En un momento la costrucción del canal ha dado a su país, en el juego de las fuerzas políticas y económicas del mundo, un puesto mucho más central y de mucha más importancia que el que antes tenía. Nadie más que Nós desea y espera que la nueva situación resulte siempre para su Patria una fuente de prosperidad y de progreso. Por otra parte no es raro, por desgracia, que en una posición como la vuestra, — portillo entre dos océanos y nudo entre las dos partes de un continente —, así como os pueden llegar los ecos y las influencia de todo lo bueno que por el mundo se propaga, así también no dejen de acusar su presencia los posos y la escoria de todo aquello que no lo es tanto. Vuestro pueblo, a lo largo de todo su pasado católico, ha podido comprobar cuales son los antídotos contra estos venenos: el equilibrio social, para el que no os faltan buenos principios en aquel Código de Trabajo que su misma Constitución ha previsto, y, de manera especial, la integridad del matrimonio y de la familia cristiana; todo elle penetrado por una seria instrucción religiosa y una fe no suprficial, sino profunda, que domine toda la vida. Nós haremos cuanto en Nuestra mano esté para que la vida religiosa de su pueblo se fortifique cada vez más y produzca aquellas vocaciones sacerdotales, que han de darle el clero numeroso y santo que necesita.

Cuando Vuestra Excelencia, en data ya más bien remota, besaba con emoción la venerable mano de Nuestro virtuoso Predecesor Pio X, acaso no pensaba que un día habría de ser recibido por uno de sus Sucesores, en ocasión tan solemne y honorifica como la presente. Por Nuestra parte Nos complacemos en ver en ello la mano de la Providencia Divina.

Vuestra Excelencia se ha propuesto, como excelso fin para su alta misión, la intensificación de los estrechos vínculos que unen ya a Panamá con esta Sede Apostólica. Al recibirle, declaramos también que no es otro Nuestro propósito y que por eso mismo podemos asegurarle desde ahora que, para su realización, hallará siempre en Nós la acogida más paternal y benévola.

En nombre propio y en el de su pueblo Vuestra Excelencia ha querido unir sus votos a los Nuestros, para que finalmente reinen en el mundo la paz, la verdadera libertad y el respeto a la religión y a los derechos de la persona humana. Con igual complacencia manifestamos que, en la labor que sin descanso tenemos emprendida para conseguirlo, Nos sirve de no pequeña satisfacción el saber que, desde ahora, contamos con su inteligente y generosa cooperación.

De todo corazón, pues queremos benedicirle, como Nos ha pedido, deseando que esta Bendición Nuestra se extienda a Su Excelencia el Señor Presidente de la República y a todo el amadísimo pueblo panameño.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECLARATIO

Cum ephemeris cui titulus « *Bilten,* Iniciativnega Sekretariata Duhovnikov Clanov of PRI IOOF Slovenije », quae Labaci a mense Novembri 1948 editur, falsas doctrinas doceat, disciplinam ecclesiasticam evertere contendat atque catholicam hierarchiam probris afficiat (cfr. a. I, 4 nov. 1948, n. 1 ; 2 dec. 1948, n. 2; a. II, 4 ian. 1949, n. 1), Sacra haec Congregatio Cleri populique christiani disciplinae praeposita praedictam ephemeridem ipso iure prohibitam declarat ad normam can. 1399, 6° Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, die 12 Aprilis 1949.

F. Card. MARMAGGI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Franciscus Roberti, *a secretis.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Causae quae in Tribunali Sacrae Romanae Rotae actae sunt anno 1948, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. MARIANOPOLITANA – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, P. Felici.

Vinculi Defensor deputatus: S. Alvarez-Menendez.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F. Liuzzi.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 3 Ianuarii: « Affirmative ».

II. TARVISINA – NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus..*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, H. Caiazzo.

Vinculi Defensoris Substitutus: A. Del Corpo.

Advocatus: R. Romano.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 27 Maii 1947 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 3 Ianuarii: « Infirmandam esse, seu non constare de matrimonii nullitate, in casu ».

III. ROMANA – NULLITATIS MATRIMONII *ob impedimentum raptus, ob vim et metum.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F. Liuzzi.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 24 Octobris 1946 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 8 Ianuarii: « Confirmandam esse, seu constare de matrimonii nullitate, in casu ».

IV. N. N. – NULLITATIS MATRIMONII *ob impedimentum ligaminis.*

Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: A. Ferrari.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 13 Ianuarii: « Negative ».

V. Tusculana – Nullitatis matrimonii *ex capite clandestinitatis.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F. Cartoni.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 29 Martii 1947 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 17 Ianuarii: « Confirmandam esse, seu non constare de nullitate matrimonii, in casu ».

VI. Tripolitana Maronitarum – Nullitatis matrimonii *ob impedimentum consanguinitatis.*

Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F. Cartoni.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 20 Ianuarii: « Negative ».

VII. Parisien. – Nullitatis matrimonii *ob exclusionem boni sacramenti et boni prolis.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: F. Romita.

Advocatus: M. D'Alfonso.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 22 Ianuarii: « Affirmative ».

VIII. Nicotrien. et Tropien. – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, P. Felici.

Vinculi Defensoris Substitutus: A. Del Corpo.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: G. Felici.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 23 Ianuarii: « Negative ».

IX. Florentina – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.

Vinculi Defensor deputatus: O. Bejan.

Advocati: A. Catelani, R. Romano.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 24 Ianuarii: « Affirmative ».

X. Albanen. in America – Nullitatis matrimonii *ob disparitatem cultus, ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, F. Brennan, *Ponens,* D. Staffa.

Vinculi Defensor deputatus: S. Alvarez-Menendez.

Advocatus: R. Romano.
Dubium. « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 26 Ianuarii: « Affirmative ».

XI. Romana – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.
Advocatus: Th. Ragusa.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 31 Ianuarii: « Affirmative ».

XII. Mediolanen. – Nullitatis matrimonii *ob exclusionem boni sacramenti.*
Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.
Vinculi Defensor: I. Trezzi.
Advocati: C. et I. Pacelli, *ex mandato gratuiti patrocinii, pro actore;* D. Lazzarato, *pro conventa.*
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 7 Februarii: « Negative ».

XIII. Romana – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, B. Filipiak.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.
Advocatus: C. Bernardini.
Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».
Sententia diei 7 Februarii: « Negative ».

XIV. Parisien. – Nullitatis matrimonii *ob exclusionem boni sacramenti.*
Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.
Advocatus: F. Fournier.
Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».
Sententia diei 14 Februarii: « Negative ».

XV. Novarien. seu Pedemontana – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: A. Jullien Decanus, D. Staffa, *Ponens,* I. Pasquazi.
Vinculi Defensor deputatus: S. Vitale.
Advocatus: R. Romano.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 16 Februarii: « Affirmative ».

XVI. Romana – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 5 Augusti 1940 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 20 Februarii: « Confirmandam esse, ideoque constare de nullitate matrimonii, in casu ».

XVII. Romana – Nullitatis matrimonii *ob exclusum bonum fidei.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, H. Caiazzo.

Vinculi Defensor deputatus: R. Bidagor.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 10 Iunii 1947 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 21 Februarii: « Confirmandam esse, seu constare de matrimonii nullitate, in casu ».

XVIII. Romana – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.

Vinculi Defensor deputatus: I. Casoria.

Advocatus: R. Romano.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 21 Februarii: « Negative ».

XIX. Ptolemaiden. Melchitarum – Nullitatis matrimonii *ex capite cognationis spiritualis.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, A. Fidecicchi, F. Brennan, *Ponens.*

Vinculi Defensor deputatus: P. Palazzini.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Szenwic.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 23 Februarii: « Negative ».

XX. Lancastren. – Nullitatis matrimonii *ob conditionem appositam.*

Turnus Rotalis: I. Teodori, *Ponens,* H. Caiazzo, B. Filipiak.

Vinculi Defensor deputatus: P. Palazzini.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Szenwic.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Februarii: « Affirmative ».

XXI. Apuanen. – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.

Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Romano.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Februarii: « Affirmative ».

XXII. Viglevanen. – Nullitatis matrimonii *ob conditionem appositam.*
Turnus Rotalis: I. Teodori, *Ponens,* H. Caiazzo, P. Felici.
Vinculi Defensoris Substitutus: I. Stella.
Advocati: P. A. D'Avack, A. Mittiga.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 1 Martii: « Affirmative ».

XXIII. Parisien. – Nullitatis matrimonii *ob exclusam indissolubilitatem.*
Turnus Rotalis: D. Staffa, *Ponens,* I. Pasquazi, P. Felici.
Vinculi Defensoris Substitutus: A. Del Corpo.
Advocatus: F. Fournier.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 11 Martii: « Negative ».

XXIV. Alba Iulien. – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.
Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: G. Felici.
Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».
Sententia diei 13 Martii: « Negative ».

XXV. Papien. – Nullitatis matrimonii *ob exclusionem boni prolis.*
Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.
Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.
Advocatus: P. A. D'Avack.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 13 Martii: « Affirmative ».

XXVI. Ianuen. – Nullitatis matrimonii *ob exclusionem boni prolis.*
Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, B. Filipiak.
Vinculi Defensor deputatus: G. Oesterle.
Advocatus: M. D'Alfonso.
Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».
Sententia diei 20 Martii: « Negative ».

XXVII. Florentina – Nullitatis matrimonii *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: I. Teodori, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.
Vinculi Defensoris Substitutus: A. Del Corpo.
Advocati: I. Bonsignori, R. Romano.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 22 Martii: « Negative ».

XXVIII. Romana – Nullitatis matrimonii *ob exclusum bonum prolis.*
Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.
Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.

Advocatus: F. Cartoni.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 24 Martii: « Affirmative, vetito mulieri transitu ad alias nuptias ».

